HEROIS GENEROSI D. D. FRANCISCI

DE ACEBEDO, MARIS MONTANNI LOCI classi præfecti, & Ordinis fulgentissimi de Alcantara equitis, Encommendoque de Puebla condecorati, summarium elogium.

PER LICENTIATVM D. Benedictum Tebarem, classis Oceani Auditorem generalem, & in pace Augusta Vicepraetorem.



CVM LICENTIA.

GRANATÆ, Ex Typographia Martini Ferdinandez. M. DC. XXIII.

APPROBATIO.

LEGI hoc ſummarium Elogium à Licentiato D. Benedicto Tebare compoſitum, quod varia, neque inutili eruditione confertum eſt; nihil verò continet Chriſtianæ Fidei ac moribus contrarium. In Collegio Societatis IESV Granatæ, die 18. Martij, anno 1623.

Petrus de Hojeda.

LICENCIA.

VISTA por el Doctor don Geronimo de Montoya, Prouiſor de Granada y todo ſu Arçobiſpado la correccion y aprobacion del Padre Pedro de Hojeda del Colegio de la Compañia de IESVS deſta ciudad, dio licencia para que ſe pueda imprimir eſte ſumario elogio, y aſsi lo mandò. En Granada a diez y nueue dias del mes de Março de mil y ſeiſcientos y veinte y tres años.

El Doctor Montoya.

Por ſu mandado.

L. Gregorio Ruyz Auendaño. N.



CAPVT PRIMVM.

ARMA, ET LEGES principium, custodiaque reipublicæ sunt, & alterutrum decus posteritati gignit.

l. 1. C. de Iustinianeo. C. confirmando.

Machab. 1. cap. 8.



RMIS, & legibus ingentem reipublicæ molem niti testatur Iustinianus Imperator, quorum tutamine Romanos, nõ solum terrarum orbem subegisse, verum etiam quæsita imperia fœlicissime conseruasse: Maximè enim alterutrum, alterius auxilio eget. Siquidem regnum, leges, & iustitiam contemnens, seu re militari deficiens facile corruet. Quamlibet harum artium Imperatoris, seu Iureconsulti & oratoris locare homines in amplissimo dignitatis gradu affirmat Tullius: ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur. Proge-

Cicero pro Murena.

nies tua, Frãciſce magnifice, inter alias montani ſitus fulgenti nobilitate nitet. Etenim vetuſta domus de Acebedo, quæ clariſsimis Magnatibus, ac Comitibus decoratur, atauis tuis paternis initium dedit. Ex matris vero Bracamontis proſapia, tot numeras patritios viros, quot proceſſerunt capita. Verum ſi à maiorum proceribus proſpere nõ deſcenderes Illuſtriſsimi patrui tui D. D. Ioannes Baptiſta de Acebedo, & D.D. Ferdinandus de Acebedo (quorum primus cœleſtia Regna tranſmigrauit, alter viuit, viuatq; Neſtoreos annos) nomen, & genuus tuum perpetua laude, & ſplendore valerent efferre AEdepol D. D. Ioannes Baptiſta de Acebedo, propter morum probitatẽ profundam humilitatem, ſcientiarum peritiam, & alias excellentes animi dotes, Epiſcopus Pincianus, Indorum Patriarcha, & hæreticæ prauitatis ſupremus quæſtor electus fuit, ſimulque ſummi prætorij præfecturam meruit. At D.D. Ferdinãdum de Acebedo præmaturæ prudentiæ fama, Comitatis natura inſitæ, gratæ indolis grauitate conditæ, bonum, & ęquum appetentis, iuris vtriuſq; ſophiæ pluriumq; virtutum meritis, inclytæ Inquiſitionis quæſtorẽ, deinde Oſomenſi Epiſcopatu inſignitum, & ad Burgorum Archiepiſcopatum promotum,

quæ-

quæsitum rogatum ad Regij Senatus Castellæ maximum præfecturę fastigium, circunspectæ iustitiæ ratio prouexit. Honores siquidem non peti, sed dari solere, ex Hadriano Imperatore, scripsit Pomponius Iureconsultus. Nimirum si antiquissimæ tuæ stirpi auctoritatem,& decus attulerint hi duo præstantissimi præsules, quandoquidē eos complecti filios vniuersa Hispania mirum in modum gloriatur. O parentes felices, qui duos Præsides procreastis! Felix patria, in qua diuina sorte nasci contigit! Felix sæculum, cui Heroês omni virtute prædíti ad rempublicam gubernanda inditi sunt! O virtutis pulchritudo, quam semper honoris elogiū insequitur! Vti Mathatias clarissimus vir in extremo vitæ exitu Simonem filium, consilio & prudentia ornatum, Dei populo rectum gubernatorem expressit, Iudam vero Machabæum, ex iuuentute viribus exercitatum, militiæ Principem expedire: ita Philippus Tertius potentissimus Monarcha Illustrissimis patruis tuis Castellæ regimen cōmendauit: te vero viginti quatuor annorum adolescentē ex eodem auo prognatum, animi tui magnitudine, roboreq; constantem, littorum montanorū classi præfectum designauit. Apud antiquos namque Romanos, nulla ętatis

L.2.§.1.Diuus August.vers.& ideo. ff.de orig.iuris.

1.Mach.cap.1.

ratione habita, prout quisque virtute ante ibat, honoribus afficiebatur. Imperatorem sustulere Scipionem Affricanum viginti quatuor annis, Alexander Macedo adhuc pupillus prælij certamina experiri cœpit: Nec mirum cum triginta, & tria annorum omnium nationum victor constitisset.

Cicero Philip.5. Liuius lib.6.dec.3. Alicar. antiquitat. Rom. Cicero Philip.5. Iustin. Historiæ eius, lib.12.

Machi.

CAP. II.

Ars Imperatoria, natura, doctrina, & vsu cōponitur.

IN arte Imperatoria tria spectari, sicut in cæteris docet Tullius, naturā nempe, doctrinam, & vsum, si nondum rationis lumine radiante, quadam naturæ vi rei militaris flagrabas desiderio. Non ne faustissimum fuit præsagiū te insignem Ducem euasurum? Habet in se generosis animus, inquit Seneca, quod concitatur ad honesta, neminem excelsi ingenij virum humilia delectāt. Ab ineunte ętate politioribus musis institutus, etsi cuiuscumq; scientiæ præceptis maximè proficiebas, genius tuus sublimis arma bellica anhelabat, eorumque exercitio plus impendio gaudebat, semper Mineruæ, Martem præferendo, & quo te fata vocabant sequūtus; expeditionem Mediolanēsem profectus, ex ordinario stipendio, ob res bene gestas, viginti aureorum incremento fuisti donatus, & in bello Bercelli agminibus ardenter pugnantibus audacter hostes adorsus fortiter decertasti: Cuius rei causa equitum dux fuisti crea-

L.5.tit.23.par.2. Cic. pro lege Manilia.

Sen.lib.epist.39.

Sen. ad Lucillum. creatus. Tenenda eſt via, inquit Seneca, quam natura præſcribit, illam ſequentibus omnia facilia, & expedita ſunt, contra illam viuentibus non alia vita eſt, quam contra aquam nauigantibus.

Liuius lib. 2. dec. 3. Scipio Affricanus in ipſa pueritia maius humano faſtigio, quid prætulit: is patrem ſaucium,& captiuum ab hoſtibus redemit, & poſt Cannenſem cladem iuuenes de deſerenda, vrbe titubantes, ſuper eos ſtricto gladio eam ſe ab Annibale protecturos iurare coegit. Iacomus Aragoniæ Rex cui belli aſsidua exercitatio debellatoris inſigne nomen peperit, animoſæ indolis præmaturê ſpecimen exhibuit. Is enim religioſiſsimus Princeps, dum pueros iuglans fallere ſolet, nondum decennio ętatis elapſo certaminis aleam ſubire cœpit, multoties periclitando, quo prædixit ſe multis ſuperiorem ducem fore. Verum ſi bonam indolem alacre, ingeniũ comitetur, beatum, quid exiſtimatur, paucis deſuper conceſſum. Ingenium tuum in ratiocinando, & percipiendo ſubtile, & perſpicax eſt, in diſſoluendis difficultatibus expeditum, verum à fucato ocye diſcernens, laboris amicum: at qui optimam mentem habet, ex ſententia Euripidis, vates bonum conſiliũ eſt. Quare magna ſuauitate omni ſcientiarum ſtudio coniungis animum, principia,

cipia, & terminos apprehendis, præcipuè rei militaris, & nauigandi artis. Nã ſingulari affectu aſtrorum influentias ſpecularis, magnetis occultam vim, prodigioſos maris fluxus, & refluxus, poli gradus, & altitudinem, cuiusque ventus ſpeciem, pluraque Aſtrologiæ, & Geometriæ præcepta addiſcis, hiſtoriæque libris adamuſsim incumbis.

CAP. III.

Imperatori doctrina maximè conuenit.

PHilippus Macedo maximè commẽdauit Alexandro filio, vt omni conatu literarum ſophiæ inſudaret, ne in multis ſicut illi euenerat ab erraret. Cuius præcepti Alexander adeò fuit tenax, vt ſub Ariſtotele, per quinquenniũ exacta pueritia erudiretur. Qui cum à quodam familiari animaduerteretur, indecens eſſe cum Diogene ſtrictam necesſitudinem habere, ſerio dixit, ſi non eſſem Alexãder Diogenes eſſe vellem. *Iuſtinus, lib. 12.* Tantiq; ſe facere iactabat philoſophiã, *Alexander ab Alex. lib. 3. c. 7.* ac naturalem hiſtoriam didiciſſe, quanti omnes nationes breui tempore profligaſſe. *Iuſtinus, lib. 12.* Ille Geometriæ rudimenta, adeò percalluit, vt mundus, cuius dominationem ambibat exiguum auſpicaretur. *Sen. lib. 14. epiſ. 9* Scipio Affricanus minor, tam elegans liberalium ſtudiorum, omnisq; doctrinæ, vt inquit Velleius, & auctor, *Velleius Paterculus lib. 1. ſua hiſtoria.* & admirator fuit, vt Pollibium, Panætiumq; excellentes ingenij viros domi, militiæq; ſecũdum habuerit, ſemperq;

aut

aut belli, aut pacis seruijt artibus, semper inter arma, ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animū disciplinis exercuit. Achiles inter Græcos plures duces anteibit, propter magistri Phænicis assiduā lectionē. Iulius Cæsar in re militari nulli secundus, artiū liberalium doctrina, dicēdiq; facūdia eminentissimº fuit, adeò vt res inter diu gestas, noctu scriberet, & elegantissimos commētarios cōficeret, simulq; quatuor notarijs dictandi copiā haberet. Maximilianus Imperator Regis nostri Catholici Philippi atauus militia maximè splendens, libros etiam eruditione fœcūdos in lucem edidit. Quid moror si cunctos Imperatores, qui inter cæteros claruerunt, sigillatim percurras, nullus fere, haud doctus, & eruditus inuenietur. Romani, qui bello, & pace rectam viuendi normā præscripsere, tribunū militū, nō solum bellandi virtute expertū, sed etiā omni literarū studio peritū quæritabāt: Rebātur enim nō viribº, aut velocitatibus, aut corporis celeritate res magnas geri, sed cōsilio authoritate & sentētiā.

Gell. attic. lib. 5. cap. 17.

Aurel. Victor. de vita Imperat.

Solin. lib. 12.

Suet. in eius vita.

Illescas in Hist. Pont. 2. par.

Pomp. Lætus, de magistrat. Rom.

Veget. de re militari.

CAP. IIII.

Historiæ notitia oportet exercitus ducem.

Historiam autem, in qua valde versatus es, magnæ vtilitatis, ac necessitatis reputo, præsentes enim casus præteritis, vti in speculo conspiciuntur. Nā raro hoc sæculo, aliquid exequendum proponitur, quod iam transacto nō euenerit

nerit

nerit imitandum. Non te prætereat, inquit sapiens, narratio seniorũ, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum. Cuius sententiæ non immemor Paulus Iurisconsultus in obscuro casu interrogatus, quid faciendum, responso dato, sic Senatum censuisse resoluit. Historia etenim, vt tradit Cicero est temporum testis, lex veritatis, magistra vitæ, nuncia vetustatis. Equidẽ in ea insignes viri se se offerunt emulandi, memorabilia, & stupenda facinora obseruanda, in pace tuta consilia, in bello doli, & machinationes in his audatia, in alijs temperantia, & prudentia, incredibiles victoriæ, ab hoste affectata proditio, sed proditor odio habitus. Magnus Alexander proxima, quaque nocte, ante quam cum hostibus congrederetur, aliquod ex Homero exemplar amplectendũ relegebat. Aiebat enim, tam celebri disciplina ad res magnas aggrediẽdas animum eius enixe concitari.

Eccles. cap. 10.

l. Filius ff. ad leg. Corn. de fal sis.

Cic. lib. 2. de ora.

Carmentus in ... sodia, cap. 11.

CAP. V.

Eloquentia ornari interest Imperatoris.

ELoquentia natura, & arte etiam flores cuius vis tanta est, vt memoriæ proditum sit Herculem rupium incolas, moribusque incultis, rudes, sermonis melode ad ciuilem vitam, communemque societatem in vrbes pelexisse. Pluresque elegantia loquelæ vicisse, quam armorum, & belli impetu. Vnde à Poetis

L. 5. tit. 25. part...

à Poetis linguæ, catenæ aureæ fixæ depingebantur, quibus innumeros ille ex auribus alligatos deducebat. Quod confirmat Tullius monens, eloquentia multas vrbes esse constitutas, plurima bella restincta, sanctissimas amicitias comparatas. Pyrrus dicere solebat, plures vrbes Cineam orationem subegisse, quam ipsum armis. Potentissimo Darij exercitu, adeò milites Alexandri perterriti fuerunt, vt nisi inuincibilis Monarcha efficaci oratione eorum animos excitet, ante conflictum iam cedere parati erant.

Tull. lib. 1. de orat.

Quintus Curt. lib. 1. cap. 4.

CAP. VI.

Iurisprudentiã profiteri, aut eius præcepta exercere, Imperatori adeò est necessaria, vt absque iustitia disciplina militaris illico deficiat.

SAlmanticæ Academiarum primæ, etiam legibus, & iurisprudentiæ solerter operam nauasti, in quibus Philosophiæ moralis locupletissimus thesaurus reconditur. Cuius scientiæ ratione humana coercetur audacia, tutaque est inter improbos innocentia, effrænatur ira, amatur continentia, prudentia colitur, relucet fortitudo, præualet veritas, iustitia dominatur, exulat mendatium, præmia merentibus, pœnæ delinquentibus irrogantur, pax conseruatur, iustum bellum mouetur: Denique ea rei militaris nerui funditus substinentur. Etenim ex iurisprudentia illa saluberrima naturalia præcepta pro manant, honeste viuendi, alterum non lædendi, ius suum

L. 1. ff. de iust. & iure.

Cap. Noli. Cap. quid culpa. Cap. apud veros 23. q. 1.

L. 1. ff. de iust. & iure.

L. ex hoc iure. ff. eodem, c. 1. tinctione.

L. 9. tit. 5. Part. 2. Proœm. tit. 9. p. 7 Vbi Greg. cap. vt lex contin.

Bald. C. plus valere, dict. l. 8.

vnicuiq; tribuendi. Pro manat lex, quã Vlpianus Iureconsultus inuentum, ac munus Dei appellauit, & Cicero Imperium, sine qua domus vlla nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura, nec ipse mundus consistere potest. Igitur si non minus respublica potest sine lege viuere, quam sine mente corpus: vbi magis lex desiderabitur, quam in belli strepitu? qui tot cruenta damna, tot duras necessitates, tot intestina odia, tot turpissima furta, tot detestabiles rapinas, tot diras clades gignit. Alexander seuerus, si quis miles de via, in alicuius possessionem deflexisset, eum fustibus cædi iubebat, & dum plecteretur, per præconem proclamari, quod tibi non vis alteri ne feceris. Ostendens disciplinam militarem, plurimum in eo naturali præcepto stabilitam esse. Quid enim interest milites magnis lacertis, viribusque valere, instructosque ad pugnam esse, & à duce temerario gubernari, si illi obedientiam aspernentur, iste iustitiæ rationem non amplectatur. Quare, Cato Romanos alloquutus, nolite inquit existimare maiores nostros armis rempublicam, ex parua magnam fecisse, si ita res esset, multo pulcherrimam eam haberemus, quippe sociorum, atque ciuium, præterea

L.1. ff. de iust. & iure.
L. contra. C. de re milit. lib. 12.
L. 2. ff. de legibus.
Cicero lib. 3. de legib.

Cap. 1. distinctione 1.

Cato apud Salustium in oratione in Cathar. D. August. de ciuitate Dei, lib. 5. cap. 12.

terea armorum, atque equorum maior nobis copia, quam illis est? Sed alia fuêre, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, atque auaritiam, publice egestatem, priuatim opulentiam, laudamus diuitias, sequimur inertiam, inter bonos, & malos discrimen nullum est, omnia virtutis præmia ambitio posidet.

CAP. VII.
Imperatoris virtus hostes amicos reddit.

CErtum est ad posternendam Carthaginensem Prouinciam, maximè pro fecisse singularem Scipionis sanctitatem, vt refert Curtius, quippe qui captiuas puellas præcipuæ pulchritudinis barbaris restituerit, in conspectum quidem suum renuens adduci. Cui etiam magni fuit ponderis, ac momenti bellisimam virginem captiuam Luceio Principi desponsatam illibatam tradi præcipisse, simulque in gentẽ auri, & argenti quantitatem, redemptionis prætium in augmentum dotis. Quo beneficio Luceius ingenue ad strictus, deserta patria, cum mille, & quatuor cẽtum equitibus Scipioni auxilio fuit. Beneficium namque, generosos viros compedibus, & catenis constringit. Non ne Magno Alexandro hostes vltro

Curt. cap. 6. Liuius lib. 7. decad. 3. c. 13. & lib. 6. decad. 3. c. 21.

Liuius lib. 6. decad. 3. Iul. Front. cap. 21.

Veget. lib. 2. d e cons. Alex.

tro se subdidere, quoniam venustissimam virginem viro restitui iussit nolens in præsentiam suam ad ferri? Qui superato Dario, virgines Persarum, filiasque, & vxorem Reginas, tam sanctè habuit, quam si eodem, quo ipse, parente genitæ fuerint, summaq; cura ei fuit, nequis captiuo corpori illuderet.

S. Basil. de leg. libris gentil.
Iulius Frontinus, strat. lib. 2. c. 11.
Quint. Curt. lib. 3.

CAP. VIII.

Citius diluitur exercitus luxurie & ocio, quã contrario alio pugnacissimo, & numero superiore.

AT vero Annibalis exercitum aduersus omnia mala, sæpè, ac diu durantem, bonis in expertum non perdidere voluptates, ac deliciæ immodicæ Capuanæ? somnus enim, & vinum, epulæ, & scorta, balneaq; & ocium cõsuetudine blandius, ita eneruarunt corpora, animosq; inquit Liuius, vt magis deinde præteritæ victoriæ eos, quam præsentes tutarentur vires, maiusque id peccatum ducis apud peritos artis militaris habitum, quam quod non ex Cannensi acie, protinus ad vrbem Romam duxisset. Illa enim cunctatio distulisse, victoriam potuit: hic error vires ademisse ad vincendum. Itaque hercle, veluti si cũ alio nouo exercitu à Capua exisset, nihil vnquam pristinæ disciplinæ tenuit. In eodẽ Capuano loco Carolo octauo Gallorũ Regi Neapolitanum Regnum præoccupanti idem euenit. Nã ex eius potentia magnus Turcca Baiacetes, tantum metus conceperat, vt breui Imperium delendum trepidaret,

Liuius lib. 3. dec. 3.
Lucius Florus lib. 2. cap. 6.

& Al-

& Albaniæ, & Macedoniæ præfecti arcibus, eas desererent, sed eius exercitus luxurie, & lasciuia bachatus effeminatè dissolutus, & morbo Gallico, vt traditur infectus fuit. Bella gentium legimus superasse, quam plurimos, inquit Sanctus Petrus Chrysologus, quos tamen carnis pugnam legimus non vicisse. Et audiuimus eos dedisse delicijs pectora, qui dorsa hostibus non dederunt. Ideo Romani consultô decreuerê, legionis præfectum, cui legato absente totus exercitus parebat, iustum diligentem, ac sobrium eligi. Valde enim referre putabant, his virtutibus ornari, qui alijs præesse deberet. Neque enim exercitum potest continere, qui se ipsum non continet, inquit Tullius, neq; seuerus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices non vult. Refrænet ergo libidines Imperator, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, & cæteras animi labes repellat. Nam quo pacto militum crudeles neces, illicita latrocinia facta, incendia ex proposito immissa, & alia id genus compescet, si ipse homicida, prædator, nefarius raptor, & incendarius sit? Qua etiam ratione miles Centurioni, Centurio Tribuni, Tribunus Legati, Legatus Consulis, magister equitum Dictatoris parebit imperio, si dux fas,

D. Petrus Chrysol. serm. 41. de ieiunio & elemosina.

Pomponius Letus de mag. Rom.

Cicero in paradoxis.

Liuius, lib. 4. & 8.

Valer. Max. lib. 5 cap. 2.

ac nefas confundens sine ordine pugnet, fidem fœderitatis, ac hostibus frãgat, bonorum inimicus, sceleratorum amicus sit, leuia delicta seuere puniat, in atrocibus conniueat, exceptionem personarum habens omnia pro libito, & sine lege gerens. Quid magis militũ obsequium apud Romanos sanciuit, quam memorabile, & iustum Manlij Torquati facinus, qui vnicum filium, quod prouocatus à Geminio Metio duce Tusculanorum ad dimicandum cõtra edictum patris descenderet, caput hostis, speciosa hercle spolia referentẽ in conspectu exercitus virgis cæssum percussit. Vnde Paulus Iureconsultus docuit, disciplinam castrorũ antiquiorem Romanis fuisse, quam charitatem liberorum. Nec Manlius filius asperam patris sententiã detrectauit, nam exercitu pro se aduersus patrem seditionẽ parante, negauit tanti esse, quenquam, vt propter illum disciplina corrumperetur, & obtinuit, vt ipse puniri pateretur. Sciebat enim vterque edicta ducũ inuiolabiliter custodienda, & qui eorũ mandata non seruaret, aut rem prohibitam faceret, vt probat Iureconsultus, etiam si res bene cesserit, capite puniendum. Aliter autem dissimulato supplicio, quilibet eo exemptum fore affectaret. Piso autem Affricam missus militũ coer-

L. Post liminium. §. filius quoq; ff. de cap. & post.

L. 3. §. in bello ff. de re militari.

Appianus de bello Punico.

coercitionem despiciens, ocio rapinis, & auaritiæ assuetorum, disciplinam militarem subuertit, quorum multos, nisi Scipio militia exauctoraret, aliosque graui oratione castigaret, nunquam in sua potestate haberet. Epicatres de re militari differens exercitum esse ait, quasi quoddam animal homini per simile, cuius caput sit Imperator, acies instructa pectus, ac thorax, pedites manus, equites autẽ pedes: & sicut in corpore conturbato, commotoque capite membra reliqua nullum officium rectè præstare possunt, sic perturbato Imperatore, exercitus omnis fluctuet, periclitetur, ac pereat necesse est.

Iulius Frontinus stratag. lib. 4. c. 1.

Pluthar. de fort. & virt. Alex. orat. 2.

CAP. IX.

In Imperatore excellit prudentia audaciam.

MEliorem esse sapientiam, quam vires, Salomon diuine statuit, & virum prudentem, quam fortem, ac vrbem altis muris circundatam: vndique expertis militibus vallatam vnius sapiẽtis industria desolatam obrruisse. Cuius thesis veritas Themisthoclis exemplo comprobatur, qui Xerxem mille millium hominum contra Græcos ducentem suo consilio, & prudentia debellauit. Hinc inde dicebat Philippus Macedo præstantiorem esse exercitum ceruorum, imperante leone, quam leonum imperante ceruo. Sempronius Gracchus, cum ei seruorum exercitus datus esset, breui effecit iusta viuendi

Sap. cap. 6.

Prouerb. cap. 21.

Pluthar. in apoth.

Liuius lib. 4. dec. 3.

norma, exercitationeque, vt nemo obscuri sanguinis memor, in acie essent præsidio suis hostibus terrori. Nec nostræ leges Partitarum huius doctrinæ oblitæ fuêre, quandoquidem inter eximia ducis encomia præcipuè sapientiã exegêre. Scipio Affrican⁹, qui cũ Annibale fœdus ferire aspernatus, eum superauit, & Carthaginem Romæ tributariam fecit, & ob excellentem fortitudinem Deorum semine natus credebatur, cum ab aliquibus detraheretur se parum pugnacem esse, Imperatorem ait me mater, non pugnacem peperit; magis se censeri cupiens prudentiæ & consilij, quam præliandi virtute, ostendensque bellandi gloriam, potius in vnius ratione positam esse, quam in multorum viribus. Meliorem esse sapiẽtiam, quam arma bellica protulit Ethereus paraclytus. Gigantes fuêre nominati, inquit per Prophetam, qui ab initio fuerũt statura magna sciẽtes bellũ, non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea perierunt, & quoniam non habuerunt sapiẽtiã interierunt, propter suã insipiẽtiam. Tãdem militarem artẽ duabus regulis cõprehendi Christianus Poeta scripsit.

L.4.& 5. tit.23. Part.2.

Iulius Frontinus lib. 4. stratag. cap.7.

Eccles. 9.
Baruch. c.3.

Michael Verinus.

Consilio vtilius, quam viribus arma geruntur,
Militis est robur, consiliumque ducis.

Quas Tacitus concinne præsensit, sed diuisa,

Tacitus lib.3. Histor.

diuisa, inquit, inter exercitum, ducémque munia militibus cupidinem pugnandi conuenire, duces prouidendo, consultando, cunctatione sæpius, quam temeritate prodesse. Rex Alphōsus Aragonensis rogatus plus ne armis, an libris deberet, grauiter respondisse fertur, ex libris arma, & armorum vsum dedicisse. Aperte innuens se omnia doctrinæ accepto ferre debere. Et si arma colas, Francisce venerande, legum vis ac potestas tibi graphice menti impressæ (si eis vti velis) tuti duces præibunt, & quocumque euentu tibi suffragio erunt: quibus auspicijs te facile vinces, quæ maior victoria est, disciplinæ militaris magister eris, hostes superabis, & virtuti fortuna cedet. De Marco Porcio Catone viro omnibus virtutibus ornato traditur, tantam in eo vim animi, ingenijque fuisse, vt quocumque loco natus esset fortunam sibi ipsi facturus videretur, tam in rebus bellicis, quam ciuilibus. Nimirum cum secundum Pomponium, Iureconsultus magnæ spectationis fuerit, librosque iurisprudentiæ plenos eruditione scripserit. Qui Sardiniam subegit, & Hispaniam profectus, rebus prospere gestis, omnium vrbium, quæ intra Bætim erāt muros vno die solo ęquauit. Scipio etiā Nasica, qui Dalmatiam vrbem subuertit,

L.2.§.lex autem, ibi. Oportet, & Principem, & ducem esse. ff. de origine iuris.

Plato dialog. 1. de legib.

Liuius lib. 2. decad. 3.

L.2. §. tripartita, vers. deinde ff. de orig. iuris.

Polibius.

Iulius Front. de strat. lib. 6. c. 1.

L.2. §. hunc etiam ver. G. Scipio Nasica. ff. de orig. iuris.

tit, & optimus ciuis à Senatu iudicatus fuit, vt matrem Deorum hospitio susciperet, inter oratores eius ętatis elegātissimus fuit, & in iure ciuili adeò excelluit, vt ei publice domus in sacra via Romæ data sit, quo facilius consuli posset. Nec non Seruius Sulpicius in causis per orandis post Ciceronem primus, iurisprudentiæ plures libros in lucem edidit, qui cum in legatione perijsset statuam ei populus Romanus pro rostris erexit. Omitto innumeros alios iuris professores, qui in bello legum auxilio armati perpetua fama digna effecere.

L. 2. §. omniū tamē, vers. Seruius ff. de orig. iuris.

CAP. X.

Conniuente iustitia distributiua ac commutatiua prævalet legalis.

ID circo non nulli irridendi sunt, qui imperite asserunt inter arma iuridicos, & leges insuper esse cum in casibus in opinatis vbi ordinariæ leges, [illegible] silere congruit, saltim ibi legalis iustitia insurgat, quæ suprema lex est, & omnes alias consilio imbibat. Supremo enim iure, quod Iupiter sanxit, inquit Tullius, omnia quæ reipublicæ salutaria sunt legitima, & iusta habentur. Quo spectat, quod de Scipione Nasica traditum est. Cū Marcus Tiberius Gracchus in tribunatu, profusis largitionibus, fauore populi occupato, rempublicam oppressam teneret, palamque iactaret, inter empto senatu, omnia per plebem agi debere, & consentientibus cunctis,

Tullius philipp. 8.

Val. Maxim. lib. 3 cap. 2.

Appian. de bello ciuili, lib. 1.

cunctis, vt consul rempublicam armis tueretur. Mucius Scæuola consul, & iuris peritus negaret se vi quicquam acturum, tunc Nasica, quoniam inquit consul, dum iuris ordinem sequitur id agit, vt cum omnibus legibus Romanũ Imperium corruat: egomet priuatus voluntati vestræ me ducem offero, & sublata dextra proclamauit. Qui rempublicam saluam esse volunt me sequantur, eaque voce cunctatione bonorum ciuium discussa, Gracchum cum scelerata factione pœnas soluere coegit. Necessitas enim ex aliàs illicito licitum facit. Cedit interdum generosus spiritus, ait Valerius, vtilitati, & fortunæ viribus succumbit; vbi nisi tutiora eligantur consilia, speciosa sequenti concidẽdum est. Quibus casibus cessantibus communes regulæ custodiendæ sunt, sine quibus nullum regimen stare posset. Quod Philon præsensit in hæc verba. Est quædã principatus species (ait) in quouis vitæ genere sola distans magnitudine, quod enim est in ciuitate Rex hoc in vnico magister, in domo dominus; inter ęgrotos medicus, Imperator inter milites; præfectus clasis inter nauales socios, inter vectores nauclera, inter nautas gubernator. Sed cum nec oratores, aut Iureconsulti, & Imperatores, quamuis artis rudimenta perceperint,

Valer. Maxim. lib. 7. cap. 6.

Philon Iude. de creatione Principis.

rint, quicquam magna laude dignum sine vsu, & exercitatione consequi possint, vt docet Cicero, nunc tibi restat, Francisce humanissime, vella ventis dare: vt exercitatione in dies magis proficias, & huius excellentis artis partibus integre muniaris. Nam si in reliquis experientia, & vsus complementum est, quanto magis in ista decet custodiri.

CAP. XI.

Imperator sine vsu nequit esse perfectus.

DVO sunt, quæ prudentis animum gignunt, quorum alterum, vt mens disciplinis, & cognitione fulcita sit, alterum plures casus, ac negotia spectasse. Scientia enim, vt ait Philosophus vniuersalium cognitio est, experientia vero singularium. Attamen cum nulli imputari debeat eius rei magnum vsum non habere, cuius exercendæ adhuc facultas non fuit: tu tamen laudandus eris, qui militarem disciplinam enixè meditaris, & priuatim arma continuo exerces, vt cum se se occasio obtulerit muneris tui, & viri fortis clarum indicium præbeas: armorum ludu, adeò strenuus per ferris, vt vix te ab vllo anteire exaudiam: cogitationumque magnitudine, audatia, lacertorumque viribus extrui, quæ animi vigore copulata, te virum militiæ acerrimum extolunt.

Vegetius lib. 2. de re militari, c. 24.

L. 8. & 23 par. 2.

Veget. de re militari. lib. 1. cap. 6.

Personæ

CAP. XII.

Valida ſpectabiliſq; perſona decet Imperatorem.

PErſonæ tuæ compoſitio vtrumque conſpicue demonſtrat. Ruffis capillis ſatus nigris vegetis occulis, proporcionata ſtatura, ac teretibus membris conſtas. Corpus namque mole, & delicatum laboris patientiæ impar diſidia torpet. Elatum vero pectus valido, & robuſto corpore nixum, ſitiat, eſuriat, ſine tegumento terra iaceat, vigilet, aſperam veſtem induat, omnia ſine flexu ſubit, & periculis immanibus reſiſtit. In erumque occurſu prouidentiam habet admiranda facinora aggreditur, & mortem in opportunitate, & pro reipublicæ ſalute glorioſam exiſtimat. Officium namque regentis exercitum, ex doctrina Iurecconſulti, nō ſolum in danda, verum etiam in obſeruanda diſciplina militari verſatur. Cuius rei Annibal ſplendidum documentū reliquit. Nam victu ſobrius, veſte, & habitum nil à gregario milite diſcrepabat, in ſomno tempus, quod ſupererat neceſſarijs negotijs factis, conſumebat ſine certa hora ſtratum thorum negligebat, & ſæpius inter vigiles ſolo incubans inueniebatur, agmen pedes, & eques præcedebat: in adoriendis arduis audaciſsimus, & in eorum calore conſilio erat promptus, & tum ducis conſilio, tum militis decertando munia exercebat, primus hoſtium aciem aggrediebatur, & poſtremus, poſt recepta

l. Officium. ff. de re militari.

Liuius lib. 1. dec. 3. cap. 1.

Iulius Frontinus, lib. 4. ſtratag. c. 3.

cepta

cepta signa prælio super sedebat. Gloria belli, ac virtute sua, quemque fretũ in aciem ire debere. Speciose Valerius Coruinus suas legiones alloquebatur, tum etiam intueri, cuius ductu, & auspicio in eundem prælium sit, vtrum qui audiendus magnificus adhortator sit, simulq́ue ipse tela tractare, ante signa procedere, versari in media mole pugnæ sciat, facta mea non dicta milites sequi volo, nec disciplinam modo, sed exẽplum petere: qui hac dextra mihi tres cõsulatus, summamq́ue laudem peperi. Tantũ valuit M. Antonij facinus in exercitu suo profligato, vt nunc victus statim victoriam reportaret. *Liuius lib.7.* *Tacitus lib.3.hist.*

PRæterea Iulius Cæsar cibo, & somno in vitam non in voluptatem cõtentus in ancipiti certamine, quod cum iuniore Pompeio in Hispania iniuit, suis præ pauore trepide pugnantibus, acie in magno discrimine constituta, & nihil exortatione proficiens, arrepto cuiusdã clypeo, increpitisq; militibus, occurrit in hostẽ exclamans nunc mihi finis vitæ erit, & vobis militiæ. Quo facto pudori cedente metu aciem restituit, ducentis telis in clypeo acceptis. Vbi labor immensus ibi vnica spes, in rebus namq́ue arduis negotium peragit, se primum imperatorem periculis conijcere, nihilq́ue tam efficax, quam eius audacissimum exemplum. *Appian. de bello ciuili, lib.2.* *Robert. Valt. de re militari, lib.6. cap.10.*

Quare

CAP. XIII.

Imperator quã doque sua iussa subire tenetur.

QVare res asperas, ex quibus solet totius exercitus salus pendere, non alteri, quam sibi fidere debet: ipsum quandoque expedit exploratum ire, vt Dei iussu Gedeon exequebatur. Nam subiecta res occulis certius consilium dabit. Vnde ille Israeliticus strenuissimus dux militum animos his verbis concitabat. Quod me videritis facere, vos quoq; facite. Etinimicis cohortibus instinctor obnitebatur. Etenim vnusquisque Aod fortem ducem imitari debet, qui vtraque manu pro dextera vtebatur, quo indicant sacræ literæ perfectum Imperatorem, vicissim præliando, vicissim cõsulendo propriæ famæ communem bonum præferẽtem hostes disijcere posse. Vanam, & falsam gloriam respuere conuenit, etiam si timidus pro cauto, imbellis pro perito belli à militibus nuncupetur: à veritate laborare ius sæpe aiunt extingui nunquam: gloriam, qui spreuit veram habebit. Quod Quinto Fabio Maximo euenit, qui cũctatione, & consilio Annibalis vires infregit aciem cum acie confligere semper detestatus. Necesse est, inquit Tullius, eum qui sit fortis, eundem esse magnanimum, qui magni animi inuictum, qui inuictus eum humana res despicere, atque infra se positas arbitrari. Despicere autem nemo potest

Veget. de re militari, cap. 26.

Iudicum, cap. 3.

Pater Ioannes Torres ex Societate Iesu, in Philosoph. Princ. 1. par. lib. 8. cap. 9.

Liuius lib. 2. dec. 3.

Liuius lib. 2. dec. 3

Tull. lib. 3. Tuscul.

eas

eas res propter quas ęgritudine affici poteſt, niſi fortis ex quo efficitur fortẽ virum ęgritudine nunquam affici. Omnes autem ſapientes fortes.

CAP. XIIII.

Liberalitas arripit accipientiũ animos, & pluſquam vires ſuperat.

HErcle cum Imperatoriæ arti plures aliæ accedant eximiæ, comiteſque virtutes, quæ eum exornant, & vndequaque vallatum conſtituunt. Inter eas liberalitas (quæ in te refulget) magnopere eſt neceſſaria, ad militum animos alliciendos, in diſciplinaque militari egregie continendos. Ea quidẽ detrahentium claudit ora, affatim eſt autoris orator, ſcientia voluntatum faſcinatoria: liberales enim homines maximê omnium ſtudioſorum amantur. Quæſitus Alexander ſeuerus, quis aptior Regis coronæ cẽſeretur, grauiter reſpõdit, qui amicos munerib⁹ retinet, & inimicos beneficijs ambit. Digna ſane ſentẽtia tanto Imperatore, nam omnibus beneficia conferre, ſecundum Senecam, imitari Deum eſt, qui & ingratis, & ſceleratis dat, Soleis oritur, & piratis maria patent. Deus rerum omniũ optimus auctor ignorantibus dare dona incipit, ingratis perſeuerat, non ceſſat beneficia congerere vnam ſortiri intentionem ſcilicet prodeſſe. Qua propter munificentia nobiliſsimis hominibus frequentius hæret. Vnde Gregorius Romanus Pontifex concludit, hãc ſibi

Ariſt. lib. 4. Ethic. c. 1.

Max. Monachus ſermone 9. de magiſtro.

Seneca de beneficijs.

Cap. 1. de donationibus.

sibi quodammodo nobilitatem legem imponere, vt debere, quod sponte tribuit existimet, & nisi in beneficijs creuerit, nihil præstitisse putet. Iucundissime Francisce, singulis officiosus beneficijs beas, alijs pecunijs, alteris opitulando, alijs fauendo, pro alijs intercedendo, & vnicuique pro facultatibus tuis sucurris. Liberalis namque appellatur, quidat, quod potest, & qui pecunia, vel ope subuenit. Vbicumque colitur hæc venustissima virtus, sed nullibi vtilis, & pretiosa magis quam in bello. Quid militum animos impellit caloris, ac pluuiæ inclementiæ subijci, famem, & egestatem pati, labore infatigabiles esse, duræ militiæ obedientiæ submitti, chara patria exules propriam domũ, parentes filios, vxoremque deserere, rure degere, & per noctare, pro domo naui, pro lecto tabula in procelloso mari fluctuantibus frui, aquam fœtidam bibere, & cibum corruptum edere, plerumq; sputcis animantibus ali, mortiferas cicatrices excipere, mortem sibi gloriosam existimare, nisi præmij spes, quod pœne impossibilia suauia, & facilia reddit. Eo impendi laborem, ac periculum, inquit Liuius, vnde emolumentum, atque honos speretur, nihilque non aggressuros homines, si magnis conatibus magna

Seneca, lib. 1. de benef.

Liui. lib. 4.

magna præmia proponantur, magnosq; animos, magnis honoribus fieri. Si præmiũ enim mera iustitia debitum milites ad res magnas gerendas excitat, nõ ne munificus dux exercitus plures strenuos, laboriosos, dicto audientes audaces efficiet, & sibi immortale nomen comparabit? Quam doctrinam Salomõ cœlesti aflatu luminauit. Victoriam, & honorem adquirere ait, qui dat munera, animamque accipientium auferre. Rex Illephonsus Aragonensis, nullũ sibi diem præterijsse sine largiendis muneribus dicebat. Et Alexander magnus nulla non bellica virtute præditus se ab vllo nunquam liberalitate superatum gloriabatur. Cyrus Persarum Rex pecunias, non thesauros, sed amicos de se benemeritos præferebat.

Prou. cap 22.

Panorm. de rebus gestis Regis Alphonsi.

Celius lib. 7. c. 38.

Pontanus de Principe ex Xenophontis pædia.

CAP. XV.

Affabilitas Imperatoris milites efficit obsequentes.

SEd liberalitati affabilitatem vnitã habes, quam sociam aptam, Valerius Maximus præscripsit, qnoniam idẽ laudis genus expetunt. Illa hominum conciliat amicitiam, hæc etiam amorẽ elicit. Fili inquit Salomon in mãsuetudine operata tua perfice, & super hominum gloriã diligeris. Naturaliter vnusquisque se amari cupit, huncque amorem in homine affabili, & beneuolo veluti in speculo conspicit vnde reciproco amore grates refert. Nã amor amoris est magnes, ex beneuolentia, & affabilita-

Valerius Max. lib. 5. cap. 1.

Ecclesi. cap. 3.

affabilitate, etiam reuerentia dimanat. Qui colitur etiam amatur, non enim potest amor cum timore misceri. Seruilis

D. Bern. serm. 87. est timor notat melifluus Bernardus, quandiu ab amore non manumititur, & qui de amore nō venit honor, nō honor sed adulatio est, qua propter Ennius.

Quem metuunt oderunt,
Quem quisque odit perijsse cupit.

Ex belli congressu, aliquibus vulneribus exceptis Lisymacho egresso prior obuiam venit Alexander magnus, qui cum in promptu non essent lintea quibus sanguis exugeretur, sublato diademate ex eis constructo, illud Lisymachi

Iulius Frontinus, lib. 6. stratag. c. 6

medellæ porrexit. Idem in brumali die populum niue circunfussum ingrediens militem ętate, militaque prouectum frigore pressum adspiciens, loco ex quo se ad rogū calefaciebat surrexit, senemq; apprehendens insidere iusit, manuque manibus, & corpori tanquam familiaris calorem applicabat. Quid mirum

Valer. Max. lib. 3. cap. 1.
Iulius Front. lib. 6 stratag. c. 6.

est, inquit Valerius Maximus, si sub eo duce tot annis militare iucundum ducebant, cui gregarij militis incolumitas proprio fastigio charior erat. Singuli, qui tecum conuersantur beneuolentiā, comitatemque tuam propalant. Qua de causa milites vexilla tua in sequuturi felicitati tribuunt; in qua re fidelis possem produci testis. Nam erga me hu

mani-

manitate ita deuinctum tenes, vt arma pro toga, & togam pro armis pro te libentissime mutuarem, & vbique terrarum substantiam, & vitā extremis periculis subijcerem. Nullum dignitatis, aut lucri pretiosius præmium ratus, quā tuo obsequio præsto esse. Difficile est dictu, inquit Tullius, quantum conciliet animos hominum comitas, affabilitasque sermonis, extāt epistolæ, & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Cassandrum, & Antigoni ad Philippū filium, trium prudentissimorum, quibus præcipiunt, vt oratione benigna multitudinis animos ad beneuolētiam alliciant, militesque blando appellando sermone deliniant. Cyrus erga suos adeo fuit officiosus, vt omnes proprio nomine, etiam si in exercitu innumeri essent nuncuparet. De quo asseritur in toto vitæ discursu neminem aspero sermone alloquutum. Nec mirandum est milites affabilitate deuinci, cum hostiū odium in charam amicitiam reducat. Scipio innatæ humanitatis, peruagata fama, Romanæ ditionis totam Hispaniam fecit. Celebre quoque est beneuolentiæ Camilli exemplum, qui cum obsidione phaliscorum vrbem circuncluderet, capiendiq; eam diuturnus labor videretur, patriciorū iuuenū magistrū proditorem tradens Regem, & ciues ad deditionem pellexit.

Lib.1. officiorū.

Valer. Max. lib.8. cap.7.

Cicero Quint.

Liuius lib.7. dec.3 cap.7.

Liuius lib.5. Iulius Fron. lib.4. Stratag. cap.4.

Ve-

CAP. XVI.

Cor docile, consiliumque diligens sapientia flagrat.

VErum his quibus prȩditus eſt virtutibus aliam annectis, quæ omnium veluti ſigillum, & complementũ eſt. Nihil, quod egere conſilio diſcernis, tam tuo arbitrio, quam alieno confidis. Res quidem prudentia, & humilitate plena. Nam cum, qui de ſui vnius ſentẽtia omnia gerit, ſuperbum magis, quam prudentem iudico. Id enim natura euenit, vt in ſuo quiſque hebetior ſit negotio, quam in alieno. Fili ſine conſilio nil facias, monet Salomon, & poſt factum non pœnitebis. Prudentis eſt omnia ante rem incœptam prouidere, conſilioque ſuſcepto exequi. Succeſus enim ſtultorum eſt, graues autem viri ſecundum rerum principia iudicant. Errant, inquit Iulius Cæſar, qui in bello omnes ſecundos rerum euentus expectant. Plerumque hercle inferior numero, viribusque exercitus omnibus his ſuperiorem proſternit. In prælio celebri Pauiæ, quo Franciſcus Gallorum Rex, fortiſsimuſque dux captus fuit, pluribus ducibus, primoribusque viris cæſis, & opulentiſsima militum caſtrorumq; præda facta, inter cænam per Principes viros orta contentione, vtrum intempeſtiue, & ſine maturo conſilio cum Imperiali exercitu conflixiſſet, multis ab eis diſſertis rationibus, dixiſſe fertur. Si res integræ manerent, vt antecongreſ-

...cclef. cap. 31.

...nius iunior, lib. ...iſt. ad Rufum. ...ius lib. 2. dec. 3. 14.

...æſar in comm. 7.

...ſtas in vita Cle...tis 7. in Hiſt. ...t.

sum perpendi, sæpè sæpius arma armis contererem. Sententia quidem constā-ti Imperatori necessaria, & fortunæ casibus imflexibili. Est namque iniquum, sed vsu receptum, inquit Plinius, quod honesta consilia, velut turpia prout male, aut prospere cedunt, ita vel laudantur, vel reprehendūtur. Vnde plerumq; eadem facta, modo furoris, modo libertatis nomē accipiūt. Quare si dux apud Carthaginenses prauo consilio licet felici euentu pugnasset in crucem elatus pœnas dabat, sed consultatione facta, negotiū accelerare opus est. Vile itaq; est consilium, inquit D. Gregorius, cui robur fortitudinis deest, quia quod tractando inuenit, carens viribus vsque ad perfectionem operis non perducit. Maximè in bello vbi occasio amplius iuuare solet, quā virtus. Et sæpius vidimus, inquit Liuius, consilium alioqui per se tutum, & salubre mora temerarium, & infelix factum esse. Post Cannensem cladē, quæ Romanæ reipublicæ terror, & pernicies fuit, si Annibal velociter victos in sequeretur, victoriæque occasionem arriperet Romanæ vrbis dominium occuparet. Sed Maharbalis spreto consilio, qui in ea re deliberandum non esse instabat cunctatione id effecit, vt postea excidio patriæ esset, exulque mortem sibi consciscerer.

Plin. lib. 5. vbi supra.

Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7.

D. Gregor. lib. moral.

Veget. de re militari, lib. 3. c. 26.
Liu. dec. 3. cap. 1.
Florus, lib. 2. c. 2.
Plutar. in vita ... bij M.

Liuius lib. 2. dec. & lib. 9. cap. 4.

In te

CAP. XVII. *Elogij epilogus.*

4.tit.23.par.2. 1.tit.6.par.2.

IN te igitur congregantur, Francisce honorifice, præclara nobilitas, optima indoles, alacre ingenium, historiæ studium, eloquentiæ vis, iurisprudentię ratio, rei militaris disciplina, animi fortitudo, corporis robur, elegans persona, munificentiæ profusio, affabilitatis & beneuolentiæ charitas, consulendi pronus genius. Quemadmodum enim patruorum, iuris vtriusqne excellentia, vnus recta columna rempublicam subs tinuit, alter tamen antistes vigilantissimus præest, amboque Illustrissimi, eximia virtute, dignitates supremas adepti, generi tuo honores auxerunt: Tu etiam generosus vir variæ doctrinæ, & armorum, & dotum selectarum præstantia classi præfecti excelsum gradum ascendere meruisti, qui etsi prosapiæ tuæ splendor nobilitatis deesset, & ei nitorē, ac posteris tuis (faxit Deus vt innumeri procreentur) perpetuum decus insereres. Animi namq́ue magnitudine expectamus, littorum Oceani præsidia à Sarracenorum rabie, Hæreticorumq́ue impietate constanter defensurum, bassimq;, fixum Hispaniam fulciturum. Vale.

Licentiatus D. Benedictus Tebar.

S

)E